GALLICARVM ECCLESIARVM

CONFESSIO CHRI-
ſtianiſſimo Regi anno
M. D. L X I.
exhibita.

NVNC VERO IN LATINVM
conuerſa, vt omnino conſtet eas
ab omnibus hæreſibus ſiue ſectis
eſſe prorſus alienas.

ANNO DOMINI,
M. D. L X V I.

non presolato

OMNIBVS CHRISTIA-
NARVM ECCLESIARVM PA-
ſtoribus & doctoribus, patribus, ac
ſymmiſtis in Domino plurimùm
obſeruandis, Paſtores & Miniſtri
Euangelium Ieſu Chriſti in regno
Galliarum annuntiantes, gratiam
& pacem à Domino.

ETſi, Dei beneficio, aduerſus eos à quibus itidem vt vos, oppugnamur, partim noſtræ cõſcientiæ teſtimonio niti poſſumus, partim etiam ad eos prouocare, qui nos quotidie docẽtes audiunt, ſuntq́; eorum omnium quæ in Eccleſiis fidei noſtræ cõmiſſis geruntur idonei teſtes: atque adeò publica extat vniuerſæ doctrinæ noſtræ confeſſio, noſtro nomine aliquot ab hinc annis vulgata, & Regiæ Maieſtati à nobis exhibita: nihilominus tamen quum hoc tempore, ſi vnquam aliàs, in omnes ſpecies vetus ille noſter hoſtis ſeipſum transformet, tum vt diſ-

cordiam inter fratres ſerat, tũ vt nos
ſubinde nouis calũniis oneratos magis
ac magis in omnium inuidiam &
odium adducat: viſum nobis eſt eandem
illam confeſſionem Latinè conuerſam
in publicũ edere, vt qui nos
alioqui nõniſi ex rumoribus plerunque
incertis ac nonnunquam etiam
falſis, norunt, duo planè intelligant,
Gallicas videlicet Eccleſias ſincerum
Dei Euangeliũ amplexas, neq; inter
ſe vlla in re vel tantillũ diſſidere, neq;
diuerſum aliquod doctrinæ genus ab
iis Eccleſiis, quas Dominus ex regno
tenebrarum ad illam admirabilẽ lucem
noſtris temporibus vocauit, profiteri:
quod quidem bonis omnibus
gratũ ac iucundũ fore ſperamus. Scimus
tamen nonnullos nihil æquè ac
cõmunem omniũ Eccleſiarũ cõſenſũ
reformidantes, primùm omniũ quæſituros
ſi vnum & idem ſentimus, cur
vnica confeſſione non ſimus omnes
contenti: deinde verò in ſingula etiã
vocabula nedum in cõfeſſionis capita
diligentiſſimè inquiſituros, vt vbi
maxima eſt concordia, ſummam eſſe

diſcordiam imperitis hominibꝰ perſuadeant, nedum vt quod charitas Chriſtiana iubet, ſi quæ ſunt diſſidẽtia, conciliare ſtudeant, & ſi quæ ambigua, in meliorem partem interpretẽtur. Nec profectò nobis diſſimulãdum eſt (quod non ſine ſummo dolore dicimus) neque tantam eſſe inter nos per omnia ὁμολογίαν, quãtam optamus ac etiam ſperamus: neque deeſſe in tãto numero qui (quod ſine cuiuſquã Eccleſię offenſione dictũ ſit) dogmata quædã ſua maximis cum offendiculis defendant. Sed nõ deeſt, Dei gratia, quod cõmunibus aduerſariis iſta nobis obiicientibus commodè & verè reſpõdeamus. Nam ſi iubeantur ipſi cõmunem aliquam cõfeſſionem proferre, quid tandem aliud promẽt quàm ſuas illas innumeras, & ne ipſis quidẽ notas traditiones? Nam certè ſi vel Apoſtolico illi ſymbolo, vel quatuor illarũ Synodorũ fidei expoſitionibus ſtarẽt, nulla nobis eſſet cum illis controuerſia. Quòd ſi Tridẽtinum illud ſuũ recẽs conciliũ proferent, vi-

derint ipſi quo iure pro cõmuni confeſſione obtrudant, de quo ne milleſimus quidẽ quiſque inter ipſos quicquam vnquã cogitauit, aut etiam iudicare poſſit: atque adeò de quo ne nunc quidem inter ipſos conueniat. Quid plura? ſi hæc illorum confeſſio eſt, ſit etiam illis communis non tantùm Propheticorum & Apoſtolicorùm ſcriptorum, ſed etiam omniũ orthodoxorũ Patrũ, veterúmq; ſynodorũ, ipſorũque adeò quorundam ſcholaſticorum, quos vocant, abnegatio. Deſinant igitur ipſi nobis multitudinem confeſſionũ obiicere, quum ipſi ne vnam quidem habeant: nobis autẽ omnino ſit glorioſum, quanuis inter nos nullo cõmunicato conſilio, in tam diuerſis regionibus, variis quidẽ linguis, nec verbis iiſdem, ſed vno tamẽ Spiritu vnã prorſus & eandem Euangelii doctrinã ſonare. Anabaptiſtas enim, Libertinos, Tritheitas, & cæteros eiuſmodi, nõ eſt quòd nobis acceſcant, quum nos potius, ſtertentibus ipſis, illos oppugnemus. Quòd ſi

ſi nobis obiiciant infelix illud de Cœna Domini diſſidiũ, nihil dicẽt quod non optimo iure poſſimus in illos retorquere. Nec enĩ nobis difficile fuerit oſtendere, ne inter ipſos quidem tranſſubſtãtiatores per omnia in hoc argumẽto cõuenire. Ad rem ipſam autẽ quod attinet, quiſquis hãc controuerſiã non ex paucorũ quorũdam ſcriptis, ſed ex reipſa æſtimabit, cõperiet, non eſſe quidem de nihilo, ſed eiuſmodi tamen, vt quũ neque de re, neque de vſu Sacramẽti illius, ſed de ſolo præſentiæ modo nunc quęratur, ꝓpterea diuerſum doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum fundamentũ dici nec poſſit, nec debeat. Itaque etſi nos hac in doctrinæ parte, vt in cęteris, planè cùm Anglicis, Scoticis, Helueticis & Rheticis Eccleſiis, ipſáq; adeò Geneuenſi idẽ penitus ſentire ác docere nõ obſcurè profitemur, abſit tamẽ vt nos ꝓpterea à reliquis Eccleſiis, quas vt verè ſanctas, & Chriſtianas veneramur, atq; adeò quarũ ſplẽdore nos irradiatos fuiſſe corã Deo & Angelis

ipſius cum gratiarũ actione agnoſcimus, vllo modo ſeiũctos arbitremur. Eſſet enim hoc certè nobis nõ minus acerbũ, quàm ſi noſtra ipſorũ corpora, ipſúmq; adeò Chriſtũ mẽbratim laniari ac diſcerpi viderem⁹ ac ſentiremus. Speram⁹ autẽ aut potius cõfidim⁹ viciſſim fore (Patres plurimũ obſeruãdi) vt perlecta noſtra Cõfeſſione omnes porrò eodẽ in nos animo ſitis, nedũ vt vllis aduerſariorũ calũniis nihil æquè ac veſtrã à nobis abalienationẽ captãtibus, aures, nedum animos, prębeatis. Quod ſupereſt, emergentes adhuc Galliæ Eccleſias, noſq; ipſos adeò veſtris precibus commendamus, & Patrẽ illum, Deum pacis ac miſericordiarum toto animo precamur, vt Eccleſiæ ſuæ miſert⁹, noſtram in Ieſu Chriſti Filii ſui Euãgelio conſenſionẽ augeat, & cõfirmet: regnum ſuum deniq; potẽter oris ſui Spiritu proſtrato Satana & mẽdacibus omnibus, in vniuerſo terrarum orbe ſtabiliat.

CON-

CONFESSIO FIDEI

EDITA ET REGIAE MAIEſtati exhibita communi conſenſu omnium Paſtorum, qui abdicatis Romanæ eccleſię ſuperſtitionibus, purum & ſyncerum Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti in regno Galliarum annuntiant.

CREDIMVS & agnoſcimus vnicum Deum, qui ſit vnica & ſimplex eſſentia ſpiritualis, æterna, inuiſibilis, immutabilis, infinita, incomprehenſibilis, inenarrabilis, omnipotens, ſummè ſapiens, bona, iuſta, & miſericors. 1

Hic vnicus Deus talem ſe patefecit hominibus, primùm in operum ſuorum tum creatione tum conſeruatione & gubernatione: deĩde multò clariùs in Verbo ſuo, quod quidẽ 2

initio certis quibuſdam viſis & oraculis Patribus patefecit: deinde verò iis libris perſcribi voluit quos ſacrã Scripturam vocamus.

3 TOTA hæc ſacra Scriptura Canonicis veteris & noui Fœderis libris comprehenſa eſt, quorum hic eſt Catalogus.

QVINQVE libri Moſis, nempe Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium.

IOSVE,

IVDICES,

RVTH.

SAMVELIS libri II.

REGVM libri II.

CHRONICON ſiue Paralipomenon libri II.

ESDRAE liber vnus.

NEHEMIAS.

ESTHER.

IOB.

PSALMI.

PROVERBIA Solomonis.

ECCLESIASTES.

Can-

Canticvm canticorum.

Esaias.

Ieremias, cum Lamentationibus.

Ezechiel.

Daniel.

Minores Prophetæ XII. nēpe Oſeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Sanctvm Ieſu Chriſti Euangelium ſecūdum Matthæum, ſecūdum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Ioannem.

Acta Apoſtolorum.

Epistolae Pauli, nempe ad Romanos vna, ad Corinthios duæ, ad Galatas vna, ad Epheſios vna, ad Philippenſes vna, ad Coloſſenſes vna, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum vna, ad Philemonem vna.

Epistola ad Hebræos.

Iacobi Epiſtola.

Petri Epiſtolæ duæ.

IOANNIS Epiſtolæ tres.
IVDAE Epiſtola vna.
IOANNIS Apocalypſis.

4. HOS libros agnoſcimus eſſe Canonicos, id eſt, vt fidei noſtræ normã & regulam habemus, ídque non tantùm ex communi Eccleſię conſenſu, ſed etiã multò magis ex teſtimonio, & intrinſeca Spiritus ſancti perſuaſione: quo ſuggerente, docemur illos ab aliis libris Eccleſiaſticis diſcernere, qui, vt ſint vtiles, non ſunt tamen eiuſmodi, vt ex iis conſtitui poſſit aliquis fidei articulus.

5. Credimus Verbum his libris comprehenſum ab vno Deo eſſe profectum, quo etiam vno, non autem hominibus, nitatur ipſius authoritas. Quúmq; hæc ſit omnis veritatis ſumma, complectẽs quicquid ad cultum Dei & ſalutem noſtram requiritur, neque hominibus, neque ipſis etiam Angelis fas eſſe dicimus quicquam ei Verbo adiicere vel detrahere, vel quicquam prorſus in eo immutare.

Ex

Ex hoc autem efficitur neque antiquitatem, neque conſuetudines, neque multitudinẽ, neque humanam ſapientiam, neque iudicia, neque edicta vel decreta vlla, neque Concilia, neque viſiones, neque miracula, Scripturæ illi Diuinæ opponere licere: ſed potius omnia ad eius regulam & præſcriptum examinari & exigi oportere. Quamobrem etiam tria illa Symbola, nempe Apoſtolicum, Nicænum, & Athanaſianum, idcirco approbamus, quòd ſint illi verbo Dei ſcripto conſentanea.

6. Hæc ſancta Scriptura nos docet in illa ſingulari & ſimplici eſſentia Diuina ſubſiſtere tres perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Patrem videlicet primam ordine cauſam & originem rerum omnium: Filium autem eius Sapiẽtiam & Verbum æternum: Spiritum ſanctum eiuſdem virtutem, potentiam & efficaciam. Filium ab æterno ex Patre genitũ. Spiritum ſanctum ab æterno ex Patre &

Filio procedentem: quæ tres perſonę non ſint confuſæ, ſed diſtinctæ, nec tamen ſeparatæ, ſed coeſſentiales, coeternæ, & coæquales. Denique in hoc myſterio approbamus quod vetera illa quatuor Concilia determinarũt: & omnes ſectas à vetuſtis illis ſanctis doctorib⁹, veluti Athanaſio, Hilario, Cyrillo, Ambroſio, & cęteris ex Dei verbo damnatas, deteſtamur.

CREDIMVS Deum, cooperanti-
7. bus tribus Perſonis, ſua virtute, ſapiētia ac bonitate incomprehenſibili, condidiſſe vniuerſa, id eſt, non tantũ cælum & terram, omniáque iis contenta, ſed etiam inuiſibiles ſpiritus, quorum alij in exitium præcipites ceciderunt, alij in obedientia perſtiterunt. Itaque illos quidem dicimus, vt ſunt ſuapte malitia deprauati, eſſe omnis boni, ac proinde totius Eccleſiæ perpetuos hoſtes: hos verò mera Dei gratia cōſeruatos, miniſtros eſſe illius gloriæ, & electorum ſalutis.

8. Credimus Deum omnia non tantùm

tùm creaſſe, ſed etiā regere & guber nare, vt qui pro ſua voluntate diſponat & ordinet quicquid in mundo euenit. Negamus tamen illum eſſe authorem mali, aut eorum quæ perperam fiunt vllā culpam in ipſum tranſ ferri poſſe, quum ipſius voluntas ſit ſumma & certiſſima omnis iuſtitiæ norma. Habet autem ipſe admirabiles potius quā explicabiles rationes, ex quib⁹ ſic vtitur diabolis ōnibus & peccantibus hominibus, tāquam inſtrumentis, vt quicquid illi malè agunt, id ipſe ſicut iuſtè ordinauit, ſic etiam in bonum conuertat. Itaq; dū confitemur nihil prorſus non interueniente ipſius prouidentia & ordinatione fieri, humiliter adoramus ar cana nobis occulta, neque in ea quæ captum noſtrū ſuperant inquirimus. Imò verò vſui noſtro applicam⁹ quod Scriptura quietis & trāquillitatis no ſtræ cauſa docet: Deum videlicet, cui res omnes ſubiectæ ſint, paterna ſolicitudine pro nobis excubare, adeò vt

ne pil⁹ quidem capitis noſtri defluat, abſque eius voluntate: Satanam autē & omnes noſtros aduerſarios ſic tenere cōſtrictos, vt niſi poteſtate ipſis facta, ne tantillum quidem nobis incommodare poſſint.

9. CREDIMVS hominem creatum purum & integrum, & imagini Dei conformem ſua ipſius culpa excidiſſe à gratia quam acceperat, ac proinde ſeipſum à Deo omnis iuſtitiæ & bonorum omnium fonte abalienaſſe, adeò vt ipſius natura ſit prorſus corrupta, & ſpiritu excęcatus, ac corde deprauatus omnem illam integritatem, ſine vlla prorſus exceptione, amiſerit. Etſi enim nonnullam habet boni & mali diſcretionem: affirmamus tamē quicquid habet lucis mox fieri tenebras, quū de quærendo Deo agitur, adeò vt ſua intelligentia & ratione nullo modo poſſit ad eum accedere: Item, quanuis voluntate ſit preditus, qua ad hoc vel illud mouetur, tamen quum ea ſit penitus ſub peccato

cato captiua, nullam prorſus habet ad bonum appetendum libertatem, niſi quam ex gratia & Dei dono acceperit.

CREDIMVS totam Adami ſobolem hac contagione infectam eſſe quam peccatum originale vocamus, vitiũ videlicet ex propagatione manans, non autem ex imitatione duntaxat, ſicut Pelagiani ſenſerunt, quorum omnes errores deteſtamur. Nec putamus neceſſarium eſſe inquirere quînam poſſit hoc peccatum ab vno ad alterum propagari. Sufficit enim quæ Deus Adamo largitus erat, non ipſi ſoli ſed etiam toti ipſius poſteritati fuiſſe data: ac ꝓinde nos in ipſius perſona omnibus illis bonis ſpoliatos, in omnem hanc miſeriam & maledictionem incidiſſe. 10

CREDIMVS hoc vitium eſſe verè Peccatum, quod omnes & ſingulos homines, ne paruulis quidem exceptis adhuc in vtero matrum deliteſcentibus, æternæ mortis reos corã 11

Deo peragat. Affirmamusquoq; hoc vitium, etiã poſt Baptiſmum, eſſe verè peccatum, quod ad culpam attinet, quanuis qui filii Dei ſunt, minimè idcirco condemnentur, quoniam videlicet Deus pro gratuita ſua bonitate & miſericordia, illud ipſis non imputat. ... Dicimus prætcrea hanc peruerſitatem ſemper edere fructus aliquos malitiæ & rebellionis, adeò vt etiam qui ſanctitate excellunt, quanuis ei reſiſtant, multis tamen infirmitatibus & delictis ſint contaminati, quandiu in hoc mũdo verſantur.

12 CREDIMVS ex hac corruptione & damnatione vniuerſali, in qua omnes homines natura ſũt ſubmerſi, Deum alios quidem eripere, quos videlicet æterno & immutabili ſuo conſilio ſola ſua bonitate & miſericordia, nullóque operum ipſorum reſpectu in Ieſu Christo elegit: alios verò in ea corruptione & damnatione relinquere, in quibus nimirum iu-

ſtè

ſtè ſuo tempore damnãdis iuſtitiam ſuam demõſtret, ſicut in aliis diuitias miſericordiæ ſuæ declarat. Nec enim alij aliis ſunt meliores, donec illos Deus diſcernat ex immutabili illo cõſilio, quod ante ſeculorum creationem in Ieſu Chriſto determinauit: neque poſſet quiſquam ſua vi ſibi ad bonum illud aditum patefacere, quũ ex natura noſtra ne vnum quidem rectum motũ, vel affectũ ſeu cogitationẽ habere poſſimus, donec nos Deus gratis præueniat, & ad rectitudinem formet.

CREDIMVS quicquid ad ſalutẽ noſtram requiritur, nobis in vno demum illo Ieſu Chriſto offerri & communicari, vt qui, quũ nobis ſeruandis ſit datus, ſimul etiã ſit nobis factus Sapientia, Iuſtitia, Sanctificatio, & Redemptio, adeò vt quicunq; ab eo declinat, miſericordiæ Patris, id eſt vnico refugio noſtro renunciet. 13

CREDIMVS Ieſum Chriſtum, Sapientiam, & Filium æter- 14

num Patris, naturam noſtram aſſumpſiſſe, ita vt vna ſit perſona Deus & Homo, homo, inquam, & corpore & anima paſſibilis, nobiſq; per omnia, excepto peccato, ſimilis, vtpote cuius caro ſit verè ſemẽ Abrahæ & Dauidis, quanuis arcana & incomprehenſibili Spiritus ſancti virtute fuerit ſuo tempore in vtero beatæ illius Virginis cõcepta. Ac proinde omnes illas hæreſes quib⁹ olim turbatæ ſunt Eccleſię, vt illi veritati contrarias deteſtamur, ac nominatim quidem diabolicas Serueti imaginationes, Domino noſtro Ieſu Chriſto imaginariã Deitatem tribuentis: vt quem videlicet dicat idæam & exemplar fuiſſe rerum omnium, & Filium Dei perſonatum ſiue figuratiuum appellat: denique corpus ei fabricantis ex tribus increatis elementis compactum, ac proinde vtranque naturam miſcentis ac deſtruentis.

15 Credimvs in vna eadémque perſona, quæ eſt Ieſus Chriſtus, verè &

& inſeparabiliter duas illas naturas ſic eſſe coniunctas, vt etiam ſint vnitæ: manente tamen vnaquaque illarum naturarum in ſua diſtincta proprietate, ita vt quemadmodum in iſta coniunctione, Diuina Verbi natura proprietates ſuas retinens, manſit increata, infinita, & omnia replẽs: ſic etiam natura humana manſerit manſuráque ſit in æternum, finita, ſuam illam naturalem formam, dimenſionem, atque adeò proprietatem habens, cui nimirum veritatẽ humanæ naturæ non ademerit reſurrectio, & glorificatio, ſiue aſſumptio ad dexteram Patris. Itaque ſic Chriſtum conſideramus in ſua Deitate, vt ipſum ſua Humanitate non ſpoliemus.

CREDIMVS Deum immenſam ſuam in nos charitatem ac bonitatẽ in eo demõſtraſſe, quòd Filium miſerit, qui moreretur & reſurgeret, & iuſtitiam omnem impleret, vt nobis cæleſtem vitam acquireret. 16

17 Credimvs eo vnico ſacrificio, quod Ieſus Chriſtus in cruce obtulit, nos eſſe Deo reconciliatos, vt ꝑ iuſtis reputemur coram ipſo, quoniā non poſſumus ipſi eſſe grati, neque adoptionis noſtræ fructu potiri, niſi quatenus peccata nobis ignoſcit. Itaque teſtamur Ieſum Chriſtum eſſe integram & perfectam noſtram ablutionem, in cuius morte plenam ſatiſfactionem nanciſcimur, qua liberemur ab omnibus peccatis quorū rei ſumus, & à quibus abſolui alio remedio non poſſumus.

18 Credimvs totam noſtram iuſtitiam poſitam eſſe in peccatorum noſtrorum remiſſione, quæ ſit etiam, vt teſtatur Dauid, vnica noſtra felicitas. Itaque cæteras omnes rationes quibus homines exiſtimāt ſe coram Deo poſſe iuſtificari, planè repudiamus: omnique virtutum & meritorū opinione abiecta, in ſola Ieſu Chriſti obedientia prorſus acquieſcimus,

quæ

quæ quidem nobis imputatur, tum vt tegantur omnia noſtra peccata, tum etiam vt gratiam coram Deo nanciſcamur. Denique credimus non poſſe nos, ſivel tantillum ab hoc fundamento declinemus, reperire vbi conquieſcamus, ſed potius inquietos ſemper fore, quoniam pacem cum Deo habere non poſſum⁹, donec certò nobis ſit perſuaſum, nos in Ieſu Chriſto diligi, quoniam in nobis ipſis omni odio digni ſumus.

CREDIMVS nos hac vna ratione libertatem obtinere Dei in- 19
uocandi, certa cũ fiducia futurũ, vt ſeſe nobis Patrem demonſtret. Nec enim vllus nobis ad Patrem aditus niſi hoc Mediatore patet.

CREDIMVS nos ſola fi- 20
de fieri huius iuſtitiæ participes, ſicut ſcriptum eſt ipſum paſſum eſſe acquirendæ nobis ſaluti, vt quicunque crediderit in eum non pereat. Hoc autem ideo fit quòd

promiſſiones vitæ , nobis in ipſo oblatæ , tunc vſui noſtro applicantur , & nobis redduntur efficaces quum eas amplectimur , nihil ambigentes nobis obuentura de quibus ore Dei certiores ſimus.Itaque iuſtitia quam fide obtinemus , pendet à gratuitis promiſſionibus,quibus nos à ſe diligi Deus declarat & teſtificatur.

CREDIMVS nos arcana ſancti Spiritus gratia donari fidei lumine , quæ ſit gratuitum Dei donum, & iis vnis proprium quibus Deo libuit illud tribuere , vt non habeãt fideles de quo in ſeipſis glorientur , quum potius duplo ſint obligatiores quòd cæteris præferantur. Sed & illud credimus, fidem electis dari, non vt ſemel tantùm in rectam viam introducantur, quin potius vt in ea ad extremum vſque pergant, quia ſicut à Deo initium eſt,ita etiã eſt complementum.

22 CREDIMVS nos qui natura ſer-
ui

ui ſumus peccati, hac eadem fide intercedente in nouam vitam regenerari. Recipimus autem per fidem hāc ſanctè viuēdi gratiā, dū promiſſionē illam Euangelicā amplectimur, quòd daturus ſit nobis Dominus Spiritum ſanctum. Tantùm abeſt igitur, vt benè & ſanctè viuendi ſtudiū fides extinguat, vt etiam illud cieat, & inflāmet in nobis, vnde bona opera neceſſariò conſequuntur. Cæterùm quanuis Deus vt nos plenè ſeruet, regeneret nos, & ad ſanctam vitam formet: tamen profitemur bona opera, quæ duce ipſius Spiritu edimus, non reſpici à Deo, vt per ea iuſtificemur, aut Filii Dei cenſeri mereamur, quoniam perpetua dubitatione & trepidatione fluctuaremus, niſi ſatiſfactione illa niteremur, per quam nos omni noxæ Ieſus Chriſtus exemit.

Credimus omnes Legis figuras 23
aduentu Ieſu Chriſti ſublatas eſſe, quanuis earum veritas & ſubſtantia nobis in eo conſtet in quo ſunt om-

nes impletæ. Legis tamẽ doctrina, & Prophetis nobis vtẽdum eſt, tum ad vitam noſtram formandam, tum vt eò magis in promiſſionibus Euangelicis confirmemur.

24 CREDIMVS, quoniã Ieſus Chriſtus datus eſt nobis vnic⁹ aduocatus, qui etiã præcipit vt ad Patrẽ ſuo nomine cõfidenter accedamus, neque nobis licet alia forma preces cõcipere, niſi ea quã nobis Deus verbo ſuo dictauit: quicquid homines de mortuorũ ſanctorũ intercesſione cõmenti ſunt, nihil aliud eſſe quàm fraudẽ & fallacias Satanę, vt homines à recta precandi forma abduceret. Repudiamus etiam quæcunq; alia media excogitarũt homines vt ſeſe iræ diuinæ eximãt, vtpote quæ ſacrificio & morti Ieſu Chriſti tantumdem derogent, quantum illis tribuitur. Denique Purgatorium arbitramur figmẽtum eſſe ex eadẽ officina profectum: vnde etiã manarunt vota monaſtica, peregrinationes, interdicta matrimonii, & vſus ciborũ, ceremonialis certorũ die-

dierum obſeruatio,cõfeſſio auricularis,indulgẽtiæ,cæterę́q; res omnes eiuſmodi, quibus opinãtur quidam ſe gratiam &ſalutẽ mereri.Ea verò omnia non tãtùm reiicimꝰ, propter falſam meriti opinionẽ ipſis adiũctam, ſed etiam quoniã ſunt humana commenta & iugum ex hominum authoritate cònſcientiis impoſitum.

CREDIMVS quoniã non niſi per Euãgelium ſimus Chriſti cõpotes, o- 25
portere ſacrã & inuiolabilem εὐταξίαν eiꝰ authoritate in Eccleſia ſancitã cõ ſeruari: ac proinde requiri in Eccleſia Paſtores quibus onus docendi Verbi & adminiſtrãdorum Sacramẽtorum incũbat, quos etiã honore ꝓſequi & reuerẽter audire oporteat ſiquidẽ legitimè vocati officio ſuo fungantur: minimè id quidẽ quaſi Deus eiuſmodi adminiculis,&ſubſidiis inferioribꝰ egeat,ſed idcirco potiꝰ,quoniã ita illi videtur nos hoc veluti fræno adhibito regere.Itaq; fanaticos illos omnes deteſtamur,qui quantum in ſe eſt, ſacrũ miniſterium,ſiue prædicationem

verbi & adminiſtrationem ſacramẽtorum, abolita cupiunt.

26 CREDIMVS igitur nemini licere, ſeſe cœtibus ſubducere, & in ſeipſo acquieſcere, ſed potius omnibus ſimul tuendam & cõſeruandam eſſe Eccleſiæ vnitatem, ſeſe communi inſtitutioni & iugo Chriſti ſubiiciẽdo, vbicunque Deus veram illam diſciplinam Eccleſiaſticam cõſtituerit, etiam ſi Magiſtratuũ edicta reclamẽt, à quo ordine quicunque ſeipſos ſeiũgunt, ordinationi Dei reſiſtunt.

27 CREDIMVS ſummo ſtudio & prudentia diſcernendam eſſe veram Eccleſiam, cuius nomine nimium multi abutuntur. Itaque affirmamus ex Dei verbo, Eccleſiam eſſe fidelium cœtum qui in verbo Dei ſequẽdo, & pura religione colenda conſentiunt, in qua etiam quotidie proficiũt, creſcentes & confirmantes ſe mutuò in Dei timore, vt qui quotidiano progreſſu & profectu indigeant, quos etiam, quantuncunque promoueant, oporteat tamẽ aſſiduè ad remiſſionẽ

pec-

peccatorum confugere. Minimè ta-
men inficiamur quin fidelibus hypo-
critæ & reprobi multi ſint permixti,
ſed quorum malitia Eccleſiæ nomen
delere non poſſit.

ITAQVE dũ hoc ita eſſe credimus, 28
ſimul etiam palàm affirmamus, vbi
verbum Dei non recipitur, nec vlla
eſt profeſſio obediẽtiæ quæ illi debe-
tur, nec vllus ſacramentorũ vſus, ibi,
propriè loquendo, non poſſe nos iu-
dicare vllam eſſe Eccleſiam. Papiſti-
cos igitur conuentus dãnamus, quòd
pura Dei veritas ab illis exulet, in qui-
bus etiam ſacramenta fidei corrupta
ſunt, adulterata, falſificata, vel peni-
tus etiam abolita, in quibus denique
omnes ſuperſtitiones & idolomaniæ
vigent. Ac proinde arbitramur om-
nes eos qui ſeſe eiuſmodi actionibus
adiungũt, & iis communicãt, à Chri-
ſti corpore ſeipſos ſeparare. Quia ta-
men in Papatu exigua quædam Ec-
cleſiæ veſtigia, ac præſertim Baptiſ-
mi ſubſtantia remanſit, cuius etiam
efficacia ab eo non dependet à quo

adminiſtratur, fatemur illic baptizatos, ſecundo baptiſmo non egere, quãuis propter admixtas corruptiones nemo baptiſandos illic infantes offerre poſſit, quin ſeipſum polluat.

29 CREDIMVS veram Eccleſiam gubernari debere ea politia ſiue diſciplina quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanciuit, ita videlicet vt in ea ſint paſtores, preſbyteri, & diaconi, vt doctrinæ puritas retineatur, vitia cohibeantur, pauperibus & reliquis calamitoſis, prout opus eſt, cõſulatur, & ſacri cœtus ædificãdis tum paruis tum magnis habeantur.

30 CREDIMVS omnes veros Paſtores, vbicunque locorum collocati fuerint, eadẽ & æquali inter ſe poteſtate eſſe præditos ſub vnico illo Capite, ſummoque & ſolo vniuerſali Epiſcopo Ieſu Chriſto: ac proinde nulli Eccleſiæ licere ſibi in aliam imperium aut dominationem vendicare.

31 CREDIMVS nulli fas eſſe ſuapte authoritate inuadere Eccleſiæ guberna-

bernacula, ſed legitima electione
quoad eius fieri poteſt, & quandiu
Dominus eius rei poteſtatem facit,
præeunte, adſciſci vnũquenque opor
tere. Addimus autem nominatim il-
lã exceptionẽ, quoniam interdũ, vt
noſtris etiã tẽporibus, interrupto Ec-
cleſiæ ſtatu, neceſſe fuit nõnullos ex-
tra ordinem Diuinitus excitari, qui
Eccleſiæ collapſæ ruinas inſtaurarẽt.
Vtcunque ſit tamen, credimus ſem-
per ſequendam eſſe hanc normam,
vt omnes paſtores & preſbyteri ſuæ
vocationis teſtimonium habeant.

CREDIMVS expedire, vt qui ele- 32
cti ſunt, Eccleſiæ alicuius præfecti, in-
ter ſe diſpiciant, qua ratione totũ cor
pus cõmodè regi poſſit. Ita tamen vt
ab eo quod Dominus noſter Ieſus
Chriſtus inſtituit nuſquam deflectãt.
Hoc autem non impedit quominus
quædam ſingulis locis peculiaria ſint
inſtituta prout cõmodum viſũ fuerit.

EXCLVDIMVS autẽ humana om- 33
nia cõmenta, & leges omnes quæ, cul
tus Dei prętextu, aſtringẽdis cõſcien-

tiis inuehuntur, & eas tãtum admittimus quæ fouendæ concordiæ, & vnicuique in obedientia debita retinendo ſubſeruiunt, qua in re ſequendum nobis putamus, quod Dominus noſter Ieſus Chriſt⁹ de Excõmunicatione ſtatuit, quam quidem approbamus, & vnà cum ſuis appendicibus neceſſariam eſſe arbitramur.

34 CREDIMVS adiuncta eſſe verbo Sacramenta, amplioris confirmationis cauſa, gratiæ Dei nimirum pignora & teſſeras, quib⁹ infirmę & rudi fidei noſtræ ſubueniatur. Fatemur enim talia eſſe ſigna hæc exteriora, vt Deus per illa, ſancti ſui Spiritus virtute, operetur, ne quicquam ibi fruſtra nobis ſignificetur. Arbitramur tamẽ omnem illorum ſubſtantiam & veritatem eſſe in Chriſto Ieſu, à quo ſi ſeparentur, nihil ſint quàm inanes vmbræ & fumi.

35 AGNOSCIMVS duo tantùm Sacramenta toti Eccleſiæ communia, quorum prius eſt Baptiſm⁹, nobis teſtificando

ſtificandæ noſtræ adoptioni datus, quoniam in eo inſerimur Chriſti corpori, vt eius ſanguine abluti, ſimul etiam ipſius Spiritu ad vitæ ſanctimoniam renouemur. Illud etiam dicimus, quanuis non niſi ſemel baptizemur, fructum tamē Baptiſmi ad totius noſtræ vitæ curſum pertinere, vt certo ſtabilique ſigillo in nobis obſignetur hæc promiſſio, Chriſtum ſemper nobis fore ſanctificationem & iuſtificationem. Præterea quanuis Baptiſmus ſit fidei & reſipiſcētiæ ſacramentum, tamen quum vnà cum parētibus poſteritatem etiam illorum in Eccleſia Deus recenſeat, affirmamus infantes ſanctis parentibus natos, eſſe ex Chriſti authoritate baptizandos.

AFFIRMAMVS ſanctam Cœnā 36
Domini, alterum videlicet Sacramētum, eſſe nobis teſtimonium noſtræ cum Domino noſtro Ieſu Chriſto v-

pro nobis, ſed etiã verè nos paſcit & nutrit carne ſua & ſanguine, vt vnũ cum ipſo facti vitam cum ipſo cõmunem habeamus. Quanuis enim nũc ſit in cęlis, ibidẽ etiã mãſurus, donec veniat mundũ iudicaturus: credimus tamẽ eum arcana & incõprehenſibili Spirit⁹ ſui virtutẽ per fidẽ apprehẽſa, nos nutrire & viuificare ſui corporis & ſanguinis ſubſtantia. Dicimus autem hoc ſpiritualiter fieri, non vt efficaciæ & veritatis loco imaginationẽ aut cogitationẽ ſupponamus, ſed potius quoniam hoc myſterium noſtræ cũ Chriſto coalitionis tã ſublime eſt, vt omnes noſtros ſenſus totũq; adeò ordinẽ naturę ſuperet: deniq; quoniã quum ſit Diuinum ac cæleſte, nõ niſi fide percipi & apprehendi poteſt.

37 Credimvs, ſicut antea dictum eſt, tam in Cœna quàm in Baptiſmo, Deum nobis reipſa, id eſt, verè & efficaciter donare quicquid ibi ſacramẽtaliter figurat, ac proinde cum ſignis coniungimus veram poſſeſſionem ac frui-

fruitionem eius rei, quæ ita nobis offertur. Itaque affirmamus eos qui ad ſacram menſam Domini puram fidẽ tanquam vas quoddam afferunt, verè recipere quod ibi ſigna teſtificantur, nempe corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti, non minus eſſe cibum ac potum animæ, quàm panis & vinum ſunt corporis cibus.

DICIMVS itaque elementum a- 38
quæ, quantumuis caducum, nobis nihilominus verè teſtificari interiorem animi noſtri ablutionem in ſanguine Ieſu Chriſti per ſancti Spiritus efficaciam. Itémque panem illum, & vinũ illud quod nobis in Cœna datur, verè nobis fieri ſpirituale alimentum, quatenus videlicet velut oculis noſtris ſpectandum præbẽt carnẽ Chriſti noſtrum cibum eſſe, & eiuſdẽ ſanguinem nobis eſſe potum. Itaque fanaticos illos omnes reiicimus, qui

poculum eſt ſanguis meus.

39 Credimvs Deum velle mundum legibus & Politia gubernari, vt aliqua ſint fræna quibus immoderatæ mundi cupiditates coerceantur: ideóque conſtituiſſe Regna, Reſpublicas, & reliquas principatuum ſpecies, ſiue hæreditario iure obueniãt, ſiue minus: neque id duntaxat, ſed etiam quicquid ſpectat ad ſtatum Iuſtitiæ, quam vocant, cuius author agnoſci poſtulat. Ideò etiam gladium in Magiſtratuum manus tradidit, reprimendis nimirum delictis, non modò contra ſecundam Tabulam, ſed etiam contra primam commiſſis. Oportet igitur propter illum huius ordinis authorem non tantùm pati vt ij dominentur quos ille nobis præfecit, ſed etiam honore & omni reuerentia eos proſequi, tanquam eius legatos ac miniſtros, ad legitimum & ſanctum munus obeundum ab ipſo deſignatos.

40 Affirmamvs ergo parendum

eſſe legibus & ſtatutis, ſoluenda tributa, & reliqua onera perferenda, ſubiectionis denique iugum voluntariè tolerandum, etiam ſi infideles fuerint Magiſtratus, dummodo Dei ſummum imperium integrum & illibatum maneat. Itaque deteſtamur omnes eos, qui dominationes repudiant, communitatem & confuſionē bonorum inuehunt, omnē denique iuris rationem euertere moliuntur.

FINIS.

1.006.640